

CLASSICAL TRIPOS Part I

Friday 7 June 2002 9 to 12

Paper 3

PASSAGES FOR TRANSLATION FROM LATIN AUTHORS

*Answer **all** the questions.*

*Use a separate booklet for **each** section.*

The examiners will give equal weight to each Section.

*Write your **number** (not your name) on the cover sheet of **each** Section booklet.*

It is important to write good English.

**You may not start to read the questions
printed on the subsequent pages of this
question paper until instructed that you
may do so by the Invigilator**

SECTION A

Translate:

A1 *Cicero explains why he is so passionately opposed to Clodius.*

sed tamen mei facti rationem exponere illis uolo qui hesterno die dolore me elatum et iracundia longius prope progressum arbitrabantur quam sapientis hominis cogitata ratio postulasset. nihil feci iratus, nihil impotenti animo, nihil non diu consideratum ac multo ante meditatatum. ego enim me, patres conscripti, inimicum semper esse professus sum duobus, qui me, qui rem publicam cum defendere deberent, seruare possent, cumque ad consulare officium ipsis insignibus illius imperi, ad meam salutem non solum auctoritate sed etiam precibus uestris uocarentur, primo reliquerunt, deinde prodiderunt, postremo oppugnarunt, praemiisque nefariae pactionis funditus una cum re publica oppressum extinctumque uoluerunt; qui quae suo ductu et imperio cruento illo atque funesto supplicia neque a sociorum moenibus prohibere neque hostium urbibus inferre potuerunt, excisionem, inflammationem, euersionem, depopulationem, uastitatem, ea sua cum praeda meis omnibus tectis atque agris intulerunt. cum his furiis et facibus, cum his, inquam, exitiosis prodigiis ac paene huius imperi pestibus bellum mihi inexpiabile dico esse susceptum.

CICERO *De haruspicum responso* 3–4

A2 *Hannibal's Numidians ambush Roman forces from Fregellae.*

exiguum campi ante castra erat; inde in collem aperta undique et conspecta ferebat uia. Numidis speculator nequaquam in spem tantae rei positus sed si quos uagos pabuli aut lignorum causa longius a castris progressos excipere, signum dat ut pariter ab suis quisque latebris exorerentur. non ante apparuere quibus obuiis ab iugo ipso consurgendum erat quam circumiere qui ab tergo intercluderent uiam; tum undique omnes exorti, et clamore sublato impetum fecere. cum in ea ualle consules essent ut neque euadere possent in iugum occupatum ab hoste nec receptum ab tergo circumuenti haberent, extrahi tamen diutius certamen potuisset ni coepta ab Etruscis fuga pauorem ceteris iniecisset. non tamen omisere pugnam deserti ab Etruscis Fregellani donec integri consules hortando ipsique ex parte pugnando rem sustinebant; sed postquam uolneratos ambo consules, Marcellum etiam transfixum lancea prolabantem ex equo moribundum uidere, tum et ipsi—perpauci autem supererant—cum Crispino consule duobus iaculis icto et Marcello adolescente saucio et ipso effugerunt.

LIVY XXVII 27 3–7

SECTION B

*Translate:***B1** *In his travels Aeneas meets Andromache, who is amazed to see him.*

progredior portu classis et litora linquens,
 sollemnis cum forte dapes et tristia dona
 ante urbem in luco falsi Simoentis ad undam
 libabat cineri Andromache Manisque uocabat
 Hectoreum ad tumulum, uiridi quem caespite inanem
 et geminas, causam lacrimis, sacrauerat aras.
 ut me conspexit uenientem et Troia circum
 arma amens uidit, magnis exterrita monstribus
 deriguit uisu in medio, calor ossa reliquit,
 labitur, et longo uix tandem tempore fatur:
 'uerane te facies, uerus mihi nuntius adfers,
 nate dea? uiuisne? aut, si lux alma recessit,
 Hector ubi est?' dixit, lacrimasque effudit et omnem
 impleuit clamore locum. uix pauca furenti
 subicio et raris turbatus uocibus hisco:
 'uiuo equidem uitamque extrema per omnia duco;
 ne dubita, nam uera uides.
 heu! quis te casus deiectam coniuge tanto
 excipit, aut quae digna satis fortuna reuisit,
 Hectoris Andromache? Pyrrhin conubia seruas?'

VIRGIL *Aeneid* III 300–319

caespite: *caespes*, sod, turf
Pyrrhin = *Pyrrhine*

[TURN OVER

uatis auarus

non temere est animus: uersus amat, hoc studet unum;
 detrimenta, fugas seruorum, incendia ridet;
 non fraudem socio pueroue incogitat ullam
 pupillo; uiuit siliquis et pane secundo,
 militiae quamquam piger et malus, utilis urbi,
 si das hoc, paruis quoque rebus magna iuari.
 os tenerum pueri balbumque poeta figurat,
 torquet ab obscaenis iam nunc sermonibus aurem,
 mox etiam pectus praeceptis format amicis,
 asperitatis et inuidiae corrector et irae;
 recte facta refert, orientia tempora notis
 instruit exemplis, inopem solatur et aegrum.
 castis cum pueris ignara puella mariti
 disceret unde preces, uatem ni Musa dedisset?
 poscit opem chorus et praesentia numina sentit;
 caelestes implorat aquas, docta prece blandus,
 auertit morbos, metuenda pericula pellit,
 impetrat et pacem et locupletem frugibus annum:
 carmine di superi placantur, carmine Manes.

HORACE *Epistles* II 1 119–138

siliquis: *siliqua*, pod (= beans, pulses)

balbum: *balbus*, unable to speak properly; stammering

locupletem: *locuples*, fertile, rich, well-supplied

B3 Either

(a) sumite in exemplum pecudes ratione carentes;
 turpe erit, ingenium mitius esse feris.
 non equa munus equum, non taurum uacca poposcit;
 non aries placitam munere captat ouem.
 sola uiro mulier spoliis exultat ademptis,
 sola locat noctes, sola licenda uenit,
 et uendit quod utrumque iuuat quod uterque petebat,
 et pretium, quanti gaudeat ipsa, facit.
 quae Venus ex aequo uentura est grata duobus,
 altera cur illam uendit et alter emit?
 cur mihi sit damno, tibi sit lucrosa uoluptas,
 quam socio motu femina uirque ferunt?
 non bene conducti uendunt periuria testes,
 non bene selecti iudicis arca patet.
 turpe reos empta miseros defendere lingua;
 quod faciat magni, turpe tribunal, opes;
 turpe tori reditu census augere paternos,
 et faciem lucro prostituisse suam.
 gratia pro rebus merito debetur inemptis;
 pro male conducto gratia nulla toro.

OVID *Amores* I 10 25–44

- Or** (b) plagis tenetur clausa dispositis fera:
 et ipsum et una generis inuisi indolem
 iunctam parenti cerno. iam tuto in loco
 uersantur odia. uenit in nostras manus
 tandem Thyestes, uenit, et totus quidem.
 uix tempero animo, uix dolor frenos capit.
 sic, cum feras uestigat et longo sagax
 loro tenetur Vmber ac presso uias
 scrutatur ore, dum procul lento suem
 odore sentit, paret et tacito locum
 rostro pererrat; praeda cum propior fuit,
 ceruice tota pugnat et gemitu uocat
 dominum morantem seque retinenti eripit:
 cum sperat ira sanguinem, nescit tegi-
 tamen tegatur, aspice, ut multo grauis
 squalore uultus obruat maestos coma,
 quam foeda iaceat barba. praestetur fides.
 fratrem iuuat uidere. complexus mihi
 redde expetitos, quidquid irarum fuit
 transierit; ex hoc sanguis ac pietas die
 colantur, animis odia damnata excidant.

SENECA *Thyestes* 491–511

- Or** (c) illa diem pariter surgens hostemque proteruum
 uidit et in fontem, niueos ne panderet artus
 sic tota cum ueste ruit, stagnisque sub altis
 Pana sequi credens ima latus implicat alga.
 quid faceret subito deceptus praedo? nec altis
 credere corpus aquis hirtae sibi conscius audet
 pellis, et a tenero nandi rudis. omnia questus
 immitem Bromium, stagna inuida et inuida tela,
 primaeuam uisu platanum, cui longa propago
 innumeraeque manus et iturus in aethera uertex,
 deposuit iuxta uiuamque adgessit harenam
 optatisque aspergit aquis et talia mandat:
 ‘uiue diu nostri pignus memorabile uoti,
 arbor, et haec durae latebrosa cubilia nymphae
 tu saltem declinis ama, preme frondibus undam.
 illa quidem meruit, sed ne, precor, igne superno
 aestuet aut dura feriat grandine; tantum
 spargere tu laticem et foliis turbare memento.
 tunc ego teque diu recolam dominamque benignae
 sedis et inlaesa tutabor utramque senecta,
 ut Iouis, ut Phoebi frondes, ut discolor umbra
 populus et nostrae stupeant tua germina pinus.’

STATIUS *Silvae* II 2 3 31–52